

De depositionibus cretaceis intra cordis valvularum arteriarumque substantiam annotationem medicam ... / communicat Samuel Christianus Lucae.

Contributors

Lucae, Samuel Christian.

Publication/Creation

Marburgi : Excudebat Henricus Ludovicus Broenner, Typographus Francofurtensis, MDCCCXV [1815]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u4y38z4n>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61762/10

6/62/p

=Δ
0101
10
D e
depositionibus cretaceis
i n t r a
cordis valvularum arteriarumque
substantiam
annotationem medicam

in alma literarum universitate Marburgensi professoris medicinae
ordinarii munus clementissime demandatum
d. XXIII. Octobris MDCCCXV. aditurus

c o m m u n i c a t

Samuel Christianus Lucae

Moeno Francofurtensis,

Medicinae et Chirurgiae Doctor ac in schola speciali Francofurtensium medica
olim professor p. o. compluribus literarum societatibus et institutis
sodalis adscriptus.

Marburgi MDCCCXV.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30387759>

D e
d e p o s i t i o n i b u s c r e t a c c e i s
i n t r a
c o r d i s v a l v u l a r u m a r t e r i a r u m q u e s u b s t a n t i a m
a n n o t a t i o m e d i c a .

„Etiam si omnia a veteribus inventa sunt, hoc semper
novum erit, usus, et inventorum ab aliis scientia
et dispositio.“

S E N E C A .

Dum in schola Moguntinorum medica speciali nouem abhinc annis artis nostrae studio incumberem sectionibusque potissimum anatomicis quotidie vacarem, saepius incidi floridioris aetatis virorum cadauera, qui hydrothorace, aneurysmate cordis et aortae, polypo cordis, angina pectoris, asthmate, vel vlla alia organorum respirationis seu circulationis morbo laborasse dicebantur, quorum autem corpora incisa praeter maiorem solito sanguinis atri adhuc fluidi in maioribus venarum truncis et ve-

noso cordis dimidio copiam, praeter aliquod cordis ambitus augmentum, praeter paucas in pleurarum et pericardii cauis aquosi humoris vncias pedumque intumesceniam oedematosam, ac denique praeter calcarea ac cretacea in cordis valuularum et aortae huiusque ramorum substantia concrementa ne vllum quidem illorum morborum seu alius cuiusdam vestigium oculis offerebant. Hinc numerosis eiusmodi obseruationibus de difficili ac fallaci morborum istorum in vita diagnosi simulque de crebriori concretionum terrearum intra cordis valuularum et arteriarum substantiam in viris morbos supradictos mentientibus existentia certior factus, posteaque, dum Tubingae commorabar, e medici doctrina et arte aequae excellentissimi AUTENRIETH, viri, cui omnia, quae scio ac valeo, gratus debeo, institutionibus clinicis de concretionum istiusmodi terrearum in angina et hydrope pectoris dignitate numerosis exemplis edoctus, maiorem huic rei attentionem impendi, septemque abhinc dum artem exerceo annis singularem quemdam respirationis et circulationis morbum, concretionum illarum comitem coniunctissimum, eam in rem diligenter attentus pluries obseruaui.

Morbus autem, de quo hic sermo est, affectionibus supra memoratis diuersimode similis, sequentibus sese manifestabat symptomatibus:

Post graue saepiusue repetitum corporis, potissimum calidi et aestuantis, refrigerium citissime oriebantur horripilationes,

lancinantes artuum dolores, rigor et lassitudo, capitis dolor aestusque. Cessantibus hisce paucas post horas phaenomenis accedebat confestim lenis pectoris oppressio, respirandi aliqua difficultas; grauior cordis palpitatio, nonnunquam dolorosa et quasi stridula; tussicula brevis et sicca; artuum hebetudo; vocis debilitas; dorsi, humerorum brachiorumque dolores obtusi; cutis sicca, vrina parca bene saturata, alui inertia; pulsus, temperiei et sensuum conditione a normali vix aberrante nullosque motus febriles indicante. Persistebant illa symptomata die noctuque quocunque temporis momento sine vlllo periodicae vel remissionis vel exacerbationis vestigio, disparuit alimentorum somnique appetentia, euanuit mentis hilaritas et quies. Ista morbi conditio absque vlllo leuamine multas durabat dies ad duas circiter hebdomades vsque, dum aeger, partim virium et appetitus sui prostratione deceptus, huic vnice amaris et spirituosus domesticis mederi studebat, partim refrigerii praegressi non immemor in infuso florum sambuci largius sumto auxilium petebat, de respirandi difficultate, cordis palpitatione, quouis corporis motu crescentibus, vnice querens. Duarum circiter septimanarum spatio dicta illa morbi symptomata tristiores in modum mutabantur accedebatque status ille, hydrothoracis, aneurysmatis, polypi cordis, anginae pectoris, asthmatis etc. characterem aliquodammodo mentiens: oriebatur summa pectoris oppressio respirandique difficultas continua, remissionis vel exacerbationis periodicae omnino expers; cordis maiorumque in pectore arteria-

rum palpitatio immanis, dolorosa, raro inaequalis, thoracis parietes vehementer conquassans, medici tactui et visui extus notabilis; dirissima quovis corporis motu horizontalique aegri situ anxietas et suffocandi periculum; dorsi, sterni, costarum, humerorum brachiorumque dolor continuus; virium, somni et appetitus plenaria prostratio; urinae imminutio, alui obstructio; facies liuida, hippocratica; vocis imbecillitas et tremor; calor corporis imminutus; membrorum emaciatio, pedum manuumve aliquod oedema; pulsus frequens, celer, duriusculus, irregularis, diuersis brachiis eodem tempore nonnunquam diuersus; tussiendo et desiderium et difficultas. Quibus symptomatibus, tristitia quaeuis nimirum minantibus, per nonnullarum interdum septimanarum spatium durantibus, dum aeger infelix dies noctesque in sella degere omnibusque negotiis et oblectamentis abstinere cogebatur, accedebant subito membrorum frigor et insensilitas, pulsus intermissio, oedematum ampliatio, sensuum fallaciae, parva deliria, suffocationes, et mors denique apoplectica aegrum fato eripuit miserum, totius morbi decursu plurium septimanarum spatium adimplente.

Cadaueris sectio praeter abundantem sanguinis atri et fluidi in pectoris, colli capitisque venis dextroque cordis dimidio copiam, aliquod cordis ambitus augmentum, paruum liquoris in pleurae et pericardii saccos effusi quantitatem, denique et supradictos cordis valuularum laminis maiorumque arteriarum

interioribus membranis interpositas materiae albae, cretae, friabilis acervulos nihil morborum detegebat.

Morbi huius descripti exemplum observavi sexies in florentis aetatis maribus, quorum duo fuere nautae, tres mercenarii, sextus denique miles, iniquioris ideo sortis hominibus, durissimis saepe laboribus, dirissimis coeli tempestatibus, omnibusque frigoris aestusque vicissitudinibus expositis, qui ad unum omnes optima constitutione et sanitate gaudentes nullisque prius aegritudinibus vexati, sub ipsum morbi initium sudore perfusi immane corporis refrigerium perpessi erant.

Primam morbi periodum, rheumatismi uniuersalis symptomatibus sese manifestantem, nunquam observavi illiusque historiam ex ipsa aegrorum narratione intellexi, neque vlla tunc ab illis adhibita fuisse cognoui remedia. Durante demum per aliquot iamiam dies secunda morbi periodo, dynamica respirationis et circulationis organorum affectione notata locali, remediis, de quibus dixi, domesticis frustra adhibitis in auxilium ego vocabar, quo accuratiore instituto examine rheumatica mali indoles bene apparuit. Commorationem in lecto potumque tepidum imperavi, medicamina diaphoretica ipecacuannam praecipue et antimonialia ad nauseam usque porrexi, vesicatoria sterno et cruribus applicui, pediluvia acra ordinaui, hacque therapia per plures dies assidue continuata, in duobus aegris, nautis nempe, op-

optatae demum per sudorem et vrinam criseos laetioris phaenomena apparuere, quibus aegri breui post incolumes euaserunt, absque vlla remanente pectoris passione.

In quatuor autem aliis nostri census aegrotis, mercenariis nempe et milite, acerbum, quem medicus praebet, victum fugientibus, sub secundi tantum stadii finem, inchoante iamiam formali et mechanica respirationis et circulationis viscerum affectione, morbi testis sum factus. Praeter memorata modo auxilia, nullum prorsus leuamen prouocantia, propinaui camphoram cum digitali purpurea, scillam cum largiori hydrargyri muriatici mitis dosi, quibus et resorptionis et excretionis functiones vberius promouerem; hisce demum remediis, ne ventriculi praua conditio magis stabiliretur, adiunxi valerianam, calamum aromaticum, ammonium, hyosciamum, aliaque id genus medicamina. Quamquam autem tali remediorum combinatione pro diversis morbi desideriiis interdum mutata aegrum periodice leuare grauissimaque eius symptomata, anxietates nominatim tum spiritus angustiam vehementemque cordis pulsationem, in tempus quodammodo mitigare posse mihi contigit, nihilominus tamen nil nisi vitae ad aliquot dies prorogationem sum consecutus, aegrosque demum omnes quatuor fato suo vidi defungi. Incisa eorum cadauera memoratas superius morbosas partium mutationes obtulere.

Inter hasce mutationes potissimum eminent cretaceae illae

concretiones, cordis valuularum maiorumque arteriarum membranis adeo interpòsitae, vt cateruatim in maiores minoresque portiones distributae, in valuulis cordis venosis et arteriosis inter ambas earum laminas includantur istarum valuularum flexilitatem magis minus impediētes, in arteriis autem musculari et intimae earum membranae contineantur, strati illius fibrosi continuitatem nonnunquam soluentes, systoles arteriarum et diastoles in vita insuperabile impedimentum hincque violentae in pectore pulsationis turbataeque circulationis causa manifestissima. Albida, cretacea, friabilis istarum concretionum substantia, cretaceis post acutos rheumatismi et arthritidis accessus urinae sedimentis haud dissimilis, eandem, sicut illa, originem agnoscere, nilque nisi anomaliae et funestae morbi criseos phaenomenon esse videtur et productum, durante secunda morbi periodo per vasa vasorum secretorio modo forma liquida effusum, posteaque induratum tertiae periodi miseriam producens. Cognita autem totius morbi indole et genesi rheumatica, rheumaticam quoque cretacearum illarum concretionum, quas potius depositiones nuncupabo, originem et naturam nemo erit qui non agnoscat, hincque expertissimorum virorum de crebriori secundariorum cordis vitiorum organicorum e primariis musculorum intercostalium rheumatismis origine effatis aliqua increscit lux nouumque adminiculum.

Sed verba sunt mihi facienda de iis, quorum causa hasce pagellas conscripsi.

Demandauit principis nostri electoris celsissimi summa gratia munus mihi hac in literarum vniuersitate pathologiae ac therapiae professoris ordinarii nec non instituti medico clinici directoris, proximo hiemis semestri auspicandum. Grauiissimi quamquam viri ego successor, doctrina et arte, fama et meritis longe mihi superioris, munus attamen laetus suscipio illud, pro omni, qui in me est, studii physico medici amore viuidaque in illud propensione, cuius ego plura iamiam publico dedisse testimonia laetus hic affirma repossim. Artis nostrae et exercitio et studio iam inde a septem abhinc annis pari prorsus amore deditus istudque ipsum tamquam grauem studii mei partem aestimans in maximo vrbis patriae pauperum numero quotidie assidue excolendum mihi sumtum, nunc quoque artis nostrae praecepta cupidis tradere ipsiusque exercitium docere ac monstrare posse dulcissima mihi erit vitae anteactae remuneratio. Quamuis autem, sicut officii ratio postulat, pathologiae, therapiae medicinaeque clinicae cultura mearum maxima curarum erit, nihilominus tamen et aliis artis nostrae disciplinis fundamentalibus praesto ero, inque primis physiologiae et anthropologiae studium, artis totius medicae basin et fundamentum, omnibus, quibus possum, viribus promouebo. Denique et politicae, vt vocatur, medicinae aliquas temporis mei horas dicabo, duplex sic medici officium, clinici nimirum ac forensis, sigillatim illustrans.

Quod superest, patriae, principi, vniuersitati, scientiae,
collegis et commilitonibus omnem me dico ac foueo, Deique
O. M. quaeuis bona illis apprecor.

Scriebam Francofurti in museo Calendis Octobribus
MDCCCXV.

Excudebat
HENRICUS LUDOVICUS BROENNER
Typographus Francofurtensis.

